



# **Disputatio philosophica inauguralis de philosophatione mentis ex seipsa**

<https://hdl.handle.net/1874/347226>

13.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
I N A U G U R A L I S,  
D E  
PHILOSOPHATIONE  
MENTIS EX SEIPSA,

Q U A M,  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inelytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesiâ Præconis,


N E C N O N  
*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Subtilissime  
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,*

Pro DOCTORATUS in PHILOSOPHIA GRADU, &  
ARTIUM LIBERALIUM MAGISTERIO, summisque  
Honoribus & Privilegiis ritè consequendis,

*Eruditorum censure exponit,*

ROBERTUS BRAGGE, Londino-Anglus.

*A. D. 13. Jun. horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō Ioc LXXXIX.

*Amplissimo, Generosissimoque*

*V I R O,*

**D. G U L I E L M O**

**A S H U R S T,**

Equiti Aurato, Illustrissimi  
Angliæ Senatus Membro  
dignissimo, Civitatis Lon-  
dinensis Civi Purpurato,  
Regis, Patriæ, Legumque  
Defensori fidelissimo, Vir-  
tutis & Eruditionis Fautori  
indefesso,

*Mente humili & maxime obsequiosa,  
seipsum, unà cum hac disputatione,*

Offert

**R O B E R T U S B R A G G E, Auct.**



DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,  
DE  
PHILOSOPHATIONE  
MENTIS EX SEIPSA.

THESIS I.



Quantam sui-ipsius cæterarumque rerum notitiam; actionum suarum contemplatione, mens nostra acquirere valeat ostensurus, instituti compendium, paucis comprehensum verbis, uno quasi obtuitu contemplandum, Lectori lubet objicere.

*Primò* itaque, conabimur modum brevi ostendere, quo mens nostra actuosa, & activitatis suæ sibi conscia, veritatum primò-primarum conscia esse debeat.

*Secundò*, quantam sui-ipsius notitiam, actionum suarum contemplatione, acquirat.

*Tertiò*, quousque per easdem, ad Entis alicujus æterni cognitionem ascendere queat.

*Quartò*, qualem de Extensione, & Mathematicis de eadem Demonstrationibus, cognitionem ex cogitationis Ideâ elicere possit.

*Quintò*, quâ methodo, ad operationes sui intellectûs attendens, modumque quo rerum notitiam acquirit, Logicam sibi formet. Ordine incipiam.

I I.

Anima cogitans conscia est sibi se cogitare; conscia verò se cogitare; conscia est se esse, existere, & agere: adeoque se *Ens, Existens, Agens* esse. Quem sui-ipsius conceptum per partes considerando, hæc tres formet Ideas, Entis, scil. Existentis, & Agentis: quæ tam simplices sunt, ut



in simpliciores resolvi non possint. Quibus observatis, Animaque noscente quid sit Esse, Existere, & Agere, facillime possit, si non debeat, de oppositis eorum cogitare, adeoque non-Entis, non-Existentis, & non-Agentis conceptus formare. Modum verò attendens, quo hosce ex eorum oppositis format conceptus, observansque se prorsus remove & abjicere, quicquid Entis, Existentis, & Agentis Ideis comprehensum & inclusum fuit, adeoque se non posse de non-Ente, non-Existente, & non-Agente vel cogitare, quamdiu aliquid Entis, Existentis, & Agentis concipiebat, clare & evidenter percipiat, æque impossibile esse, ut non-Enti competeret aliquid Entis, non-Existenti aliquid Existentiæ, sive Actionis. Qui conceptus cum veritatibus istis vulgatis, & per se notis exactè coincidunt: *Non Entis nullæ sunt affectiones, Impossibile est simul esse & non esse; Agere supponit esse.* His sufficiat tribus quasi verbis modum notasse, quo mens activitatis suæ conscia, simplicissimas Ideas, & ex iis simplicissimas veritates formet. Quo substructo fundamine ad sui-ipsius ex seipsa cognitionem sic procedat.

## I I I.

Mens suas contemplando actiones, facillimè in iisdem advertere potest, aliquid omnibus commune, sci. *τὸ cogitare*, aliquid verò easdem à se invicem distinguens, scil. *hoc vel illo modo cogitare*: quorum prius observet nullam, posterius vero quam plurimas admittere variationes: uti quoque, illud nunquam à se separatum esse, hoc vero continuo separari; unde prona est concludere, hæc duo modo eodem sibi non competere, sed id quod nunquam observavit à se separatum, à se inseparabile esse; adeoque sponte quasi rueret, ad actualement cogitationem tanquam sibi essentialem concipiendam, nisi advertere possit, se non idèd nunc cogitare, quia antea cogitavit, neque postea cogitaturam fore, quia nunc cogitat; & consequenter se ignorare, an cogitatio generalis modo eodem à se separari non possit, ac hoc vel illo modo cogitare. Conceptum itaque sui-ipsius formans, non potest semetipsam tanquam Ens cogitans, sed debet se tanquam Ens quod cogitare potest, concipere.

## I V.

Ad quem sui-ipsius conceptum attendens, observet, se eum formasse,  
Ideam



Ideam potentia cogitandi cum Idea Entis uniendo : adeoque in ejusdem contemplatione se debere, & quot modis hæc potentia sese exerere valeat, & quale ens sit, advertere. Circa prius observet, se Ideas formando non solum suæ activitatis sibi consciam esse, sed porro sibi bonum esse, judicantem tali modo activam esse, se plures formandi desiderio teneri; cui desiderio dum satisfacit, tum percipiat, se maxima lubentia, spontaneitate, & complacentia rationali agere : adeoque concludere potest, se potentia pollere, res concipiendi cum conscientia, & sese determinandi cum summa complacentia rationali.

## V.

Quot verò modis cum conscientia res percipere, & cum complacentia sese determinare queat, cognoscere potest mens, methodum considerando, qua sui-ipsius formavit conceptum, sci. se prius formasse Ideas simplices Entis, & potentia Cogitandi, quam easdem conjunxerat; deinde, alias Ideas uniendo, & veritatem ex veritate eliciendo, harum tandem Idearum unionem percepisse. Unde colligit, se posse, *Primò*, Ideas simplices formare, easdemque formatas contemplari; & *Secundò*, contemplando, unionem nexuque earundem inter sese percipere, & unionem quarundam percipiendo, *Tertiò*, aliarum unionem invenire. Modum verò advertens, quo Idearum suarum contemplatione ipsa afficitur, quot modis sese cum complacentia determinet, inveniat; observando scilicet omnes quas contemplatur Ideas, vel ut naturæ suæ convenientes, vel disconvenientes sibi apparere. Si ut convenientes, tum se semetipsam determinare, ad eas ulterius cum voluptate contemplandas; sin verò ut disconvenientes, tum se semetipsam determinare ad eas à se removendas, definitque, sive non vult easdem contemplari. Quas Volitiones & Nolitiones observat magis minusve intensas esse, prout Ideæ magis minusve convenientes aut disconvenientes naturæ apparent; quæque etiam, prout res Ideis representatæ vel ut præsentæ, vel ut futuræ, aliisque modis & circumstantiis representantur, maximam admittunt variationem. Hæc de iis sufficiant quæ Mens in potentia cogitandi includi advertit.

## V I.

Quod ad posterius attinet (quale sci. est *Ens*) Mens observet, in omni



Idea particularis alicujus cogitationis duo includi, ipsum nempe cogitandi actum, & modum quo ea actio modificata ab aliis distinguitur: quorum prius tanquam posterioris subjectum concipit, cui id inest adhæretque, & absque quo distinctam ejusdem Ideam formare nequeat. Qualem sui-ipsius conceptum qua Entis formare se non posse observet, quia tum alicujus alterius Entis Ideam formaret, cui tanquam subjecto suo inest adhæretque, & absque quo neque existere neque distincte concipi possit. Quam Ideam se formare nequaquam observans, rectè inferat, se tale Ens esse, quod nullo indigens subjecto cui inhæreat, sed per se existens, cum conscientia res concipere, & complacentia sese determinare queat. Quæ omnia tanquam perfectiones suæ naturæ debet cogitare, quia alias ab existendo, cogitando, sese determinando, cessare desideraret. Et quia conscia est se simul omnem existentiam in sese non comprehendere, neque uno conceptu omnia concipere, unaque actione ad omnia sese determinare, ideo easdem perfectiones ut finitas, limitatas, terminisque circumscriptas agnoscere debet. Hæc de cognitione, quam Mens nostra sui-ipsius, actiones suas perpendendo, acquirit. Sequitur proximè ut ostendatur modus, quo ex seipsa per seipsam ad Entis alicujus Æterni notitiam ascendere potest.

## V I I.

Mens semetipsam considerans, tanquam Ens cujus perfectiones finitæ terminisque sunt obnoxia, facillimè potest Entis Ideam formare, cujus perfectionibus nullos terminos nullosque fines assignet. In quo omnes perfectiones, terminis omnibus amotis, quas in seipsa observat, & infinitè plures, esse concipiat: adeoque Intellectum ad omnia sese extendentem, sive omnia scibilia simul in sese comprehendentem; voluntatem ad omnia volibilia sese perfectissimo modo determinantem; & existentiam absque omni principio & fine; simileque perfectiones infinitas. Quam Ideam Mens secum diligenter agitans, maximæ in sese pronitatis sibi conscia est, concludendi tale Ens realiter existere. Sed rem accuratius perpendens, non solum modo pronitatem sed necessitatem inveniatur, existentiam talis Entis asserendi.

## V I I I.

Nam noscens se existere, simul Entitatem aliquam ab Æterno extitisse necessario debet agnoscere; quia si cogitaret nihil unquam fuisse, cogitare debet,



debet, vel nihil nunc esse, adeoque se non existere; vel aliquid ex nihilo suam Entitatem habuisse, adeoque non Ens affectiones & habere & dare. Neque excipere licet, mentem posse semetipsam concipere uti ab alio productam; & istud aliud ab alio, & sic porro in infinitum; nam æternam seriem finitarum causarum & effectuum concipiendo, vel debet Entitatem æternam concipere, vel effectus nil entitatis à causis derivare. Statuat itaque Mens, Entitatem aliquam ab æterno extitisse; pergatque considerare modum quo hæc Entitas ab æterno extitit; an scilicet sibi simili, modo successivo; & si successive, an in æterna subordinatione causarum & effectuum? Attendens vero statim percipiat, eam non posse successive extitisse, quia durationis ejus successiones, una ex parte terminatæ & finitæ, altera ex parte interminabiles & infinitæ forent; adeoque numerum constituerent neque finitum neque infinitum. Non finitum; quia principio careret: non infinitum, quia finem haberet, & in infinitum augeri capax esset. Ut verbo dicam, tot tantisque absurditatibus Mens clarissimè videat, conceptum durationis æternæ successivæ gravatum esse, ut si ullibi hic tuto statuatur durationem talis Entitatis successiones nequaquam admittere, adeoque omnem subordinationem causarum & effectuum respicientem, (quæ successivum existendi modum necessariò requirit;) principio, fine, & successione omni carere, omni ex parte interminabilem & infinitam esse, omnemque plane existentiam in sese comprehendere.

## I X.

Existentiâ itaque Entitatis alicujus æternæ adstructâ, ex consideratione sui-ipsius, quâ existentis, modoque cognito quo ea sit concipienda, pergat Mens naturam hujus Entis investigare, attendendo scilicet 1. quid perfectionis talis existendi modus in se includat; & 2. quid perfectionis ex consideratione sui-ipsius, tanquam Entis cogitantis, eidem attribuere debeat. In tali existendi modo hæc perfectiones inclusas esse advertat.

*Primò.* Unitatem absolutam; quia duorum Entium Ideas, quorum singula omnem omninò existentiam in se comprehendunt, se formare non posse observet: quia omnem existentiam uni attribuens, unoque comprehensam & contentam esse cogitans, nil alteri attribuendum excogitare queat, nisi existentiam omni existentia latius sese extendentem fingeret.

*Secundò.* Independentiam omnimodam: quia quicquid fingatur existere à quo dependeret, ut dependens pro suo esse menti debet exhiberi, &

ab



ab eo dependens quod solum omnem omnino existentiam in se comprehendere concipitur; ut verò causa effectum produceret, & ab eodem producto ullo dependeret modo, & nihilominus nullas haberet effectus perfectiones quas à causa non accepit, quæque in eadem modo longè perfectiori non continentur, est à ratione alienum & inconceptibile.

*Tertiò.* Necessitatem existendi: quia omnem existentiam in eo comprehensam esse Mens statuens, id propriam ab æterno comprehendisse statuere debet, adeoque à se, per se, & propter se ab æterno extitisse; à se vero, per se, & propter se ab æterno extitisse concipi non potest, nisi quoque necessitas existendi in eo includi concipiatur, quia posse non-existere & per se existere huic Enti simul attribui non possint, nisi statuatur id posse seipsum sua privare existentia: quod summam implicat contradictionem.

*Quartò.* Simpliciter: quia in omni compositione existentias simplicium existentia compositi priores esse, adeoque existentiam compositi ab existentis simplicium dependere, Mens advertat; hujus vero Entis existentiam nullam priorem vel priores existentias, à quibus ullo dependeat modo, admittere vel admittere posse probe novit, quia omne omnino excludens principium omnem existentiam in se includit, & consequenter non posse ullo modo compositum esse.

*Quintò.* Immutabilitatem; quia quicquid tanquam mutabile menti repræsentatur, debet cum potentia successivè existendi repræsentari; quia omne dum mutatur successive actualiter existit, uno sci. modo ante mutationem, alio sub ipsa mutatione, alio post mutationem. Jam vero potentiam successive existendi non posse illi Enti attribui Mens videbit; quod perfectissimo existendi modo, omnem successionis umbram excludit.

*Sextò.* Deniq. Omnes omninò perfectiones, tam actuales quam possibles; actuales, quia quicquid tanquam existens imaginatur, suum esse & originem ab eo vel mediate seu immediatè duxisse Mens agnoscere debet; possibles, quia nil posse existere, fingere valet, nisi quod ideo potest, quia vel hoc Ens, vel aliquid ab eo productum, illud producere queat. Hæc de perfectionibus quas in modo existendi huic Enti proprio, Mens investiget.

## X.

Seipsam verò tanquam substantiam cogitantem considerans, suæ finitudinis



tudinis & successivæ durationis conscia esse debet, & consequenter agnoscere, se ab æterno non fuisse, sed omne suum esse ab Ente hoc infinito habuisse: adeoque se oportere quicquid perfectionis in seipsa deprehendet, imperfectionibus amotis, Enti huic, modo illi digno, attribuere, ne alias aliquid in effectu quod non aliquo modo in causa fuit concipiendo, non Enti affectiones daret: & tum deinde attendere, quid perfectionis requiratur in aliquo Ente, ut potens & idoneum sit substantiam talibus donatam perfectionibus producere, qualem se esse novit.

X I.

Primò itaque, magnam perfectionem esse advertens, se res intelligendo cum activitatis suæ conscientia activam esse, imperfectionem verò, quòd hæc sua activitas potentiam supponat, & subjectum requirat absque quo existere nequeat, quod successivè sese exerat, quod cum plena omnium conscientia ad omnia simul sese non extendat, quod discursu & abstractione acquisita, ignorantix errori & dubitationi sit obnoxia; istam perfectionem hisce imperfectionibus liberam, Enti huic, modo infinitudini ejus congruo, attribuere oportet. Adeoque idem, intelligendo activum esse, concipere, absque omni potentialitate sive dependentia ab ullo subjecto, absque omni successionis specie, terminis, limitibusque, adeoque cognitione sua undiquaque infinita omnia scibilia simul comprehendere, quæque nullo discursu, nullaque abstractione acquisita, nulli ignorantix, dubitationi, errori, & conjecturæ est obnoxia. Dum verò talem tamque perfectam esse ejus Entis cognitionem concipit, aliunde quam a seipso id eam habere concipere non potest, quia videat, si minimum ejus ab aliquo a se distincto acquireret, finita, dependens, cæterisque imperfectionibus vitata esset: à seipso verò ex seipso eam habens, omni ex parte perfectissima esse debet; nam seipsum intelligendo, modo sibi digno, omne quod esse potest, fuit, est, aut erit, intelligit. Quicquid esse potest, quia nil existentiam ullam aliundè quam ab illo acquirere potest. Quicquid fuit, quia sicut nil existere potest, nisi illud existentiam ei daret, ita nil existit, nisi illud extitisse ei dedit. Quicquid est, quia sicut nil extitit nisi illud ei extitisse dedit, ita nil existit, nisi illud ei existere dat. Quicquid erit, quia sicut nil existit, nisi illud ei existere dat, ita nil existet nisi illud ei existere dabit.

X I I.

Secundò, magnam etiam in se perfectionem esse observans, se seipsam cum



cum complacentia determinando, activam esse; imperfectionem verò, quod eo quo vellet modo, sese determinare frequenter non valeat, quod erroris sepe conscia se tali modo sese determinasse peniteat, quod ad unum determinata, ad aliud eodem tempore sese determinare nequeat; istam quoque perfectionem, his imperfectionibus amotis, Enti huic attribuere debet. Adeoque idem concipere oportet absque omni impedimento, errore, penitentia, imprudentia, & successione, ad omnia simul & semel modo infinito sese determinans; in seipso, cæterisque omnibus sua essentia quasi comprehensis, ob seipsum, perfectissimè complacens; & eodem simplicissimo actu determinans, quibus modis sese suasque perfectiones sufficientissimas manifestabit, quibus vero modis non.

X I I I.

Tertio, indagans, quid perfectionis requiratur in hoc Ente, ut potens sit se substantiam talibus ornatam perfectionibus producere, inveniat Omnisufficientiam & Omnipotentiam requiri. Omnisufficientiam; vel alias id mentem producendo seipsum destrueret, & existentiam, intellectum, voluntatem alteri dando, semetipsum sua existentia intellectu & voluntate privaret, vel saltem earundem infinitudinem destrueret. Omnipotentiam; quia ut id aliquid producat absque omni in proprias perfectiones injuria, debet idem ex nihilo producere: nihil verò inter & aliquid cum nulla sit proportio, sed infinita disproportio, potentia eam distantiam superare apta infinita esse debet. Hæc sufficiant ad modum ostendendum quo mens sola per seipsam ad Entis æterni notitiam ascendere queat. Videamus, qualem de Extensione, & mathematicis de eadem demonstrationibus, cognitionem, ex Cogitationis Idea, investigare queat.

X I V.

Dum mens conscia sibi est suæ cogitationis, Cogitatio sibi-ipsi sui-ipsius fit ubi, seu potius sui penetrativa in seipsa existit, Actio verò, sive modus mentis, neque sibi-ipsi ubi esse, neque seipsum penetrare potest, nisi subjectum ejus, sive mens (absque qua nullibi existere queat) ubi sibi-ipsi fiat, seipsamque penetret. Se verò seipsam penetrare mens percipiens, & nihilominus se substantiam esse noscens, substantiæ sui-ipsius penetrativæ Ideam formare debet; quâ formatâ, facillimè potest, si non necessariò



cessario debet, Ideam substantiæ ei oppositæ formare, quæ scil. seipsam penetrare non potest, neque sui-ipsius ubi fieri.

X V.

Quam Ideam indigestam rudemque perficiet, politamque reddet Anima observando, Impenetrabilitatem Extensionem partiumque extra partes existentiam & includere & supponere. Includere, quia partes sese non penetrantes extra sese necessario debent existere. Supponere, quia partes ideo sese non penetrant quia extra sese existunt & extenduntur. De Extensione vero cogitans, de divisione necessè cogitare debet; quid enim magis obvium est? quam inferre, quod partes quæ extra sese sic existunt ut intra sese existere nequeant, à se mutuo separari queant. Quousque verò hæc divisio fieri possit, Extensionem accuratius considerando, mens determinabit; inveniaturque Extensionem necessè divisionem includere, Impenetrabilitatem Extensionem: Consequenter, quamdiu substantia impenetrabilis manet, debet extendi, & quamdiu extensa manet, debet divisibilis esse: manet vero impenetrabilis quamdiu est substantia, adedque divisibilitatis suæ finem nullam admittit.

X V I.

Quæ porro partes ut separabiles ab invicem Menti repræsentantur, unitæ repræsentari non possunt quin in longum, latum, & profundum extendendi appareant. Quam longitudinem, latitudinem, & profunditatem mens diverso vel uniendo vel separando modo, diversos Extensionis conceptus formabit. Exempli causa, Longitudinem solam considerando Lineam sibi repræsentabit, quæ recta vel curva erit, prout ex æquo, vel non, sua interjacere puncta concipitur. Longitudini verò addendo Latitudinem, Superficiem, & utrisque addendo profunditatem, Corpus; quod variè figuratum, pro varietate ejus superficierum, apparebit.

X V I I.

Plures verò una concipiens lineas, easdemque inter sese uniens, non potest non, pro numeri & unionis modi diversitate, diversas sibi repræsentare figuras, uti:



*Primò.* Duas sic uniendo lineas, ut una in alteram inclinet, Angulum sibi repræsentabit; quæ si rectæ sint, rectangulum, qui etiam varius esse debet, prout variè hæ uniri finguntur lineæ. Exempli gratia, si unam imaginaretur sic in alteram stantem, ut in unum magis quam in alterum non inclinet latus, Angulum sibi repræsentaret rectum, sin verò è contrà, unam sic cum altera uniret, ut magis in unum quam in alterum inclinet latus, Angulum & obtusum, & acutum; acutum ea ex parte, qua magis inclinat, obtusum ab altera.

*Secundò.* Tres extremitatibus suis uniendo, Triangulum sibi repræsentabit. Qui etiam diversus & varius erit: prout 1. Æquales vel inæquales imaginantur lineæ. Exempli causa, si omnes inter sese æquales esse fingat, Triangulum sibi repræsentabit æquilaterum; sin vero duas solum æquales Ifoselem, si omnes inæquales, scalenum. 2. Prout Anguli contenti imaginantur diversi. Exempli gratia, si imaginabitur eum unum Angulum rectum habere, Rectangulum triangulum; si obtusum Amblygonium; si tres acutos, Oxygonium.

*Tertiò.* Quatuor uniendo, figuram quadrilaterum repræsentabit. Quam si concipiat, & æquales angulos & latera æqualia habere, Quadratum imaginabitur, si æquales angulos & latera inæqualia, figuram altera ex parte longiorem; si è contrario æqualia latera & inæquales angulos, Rhombum; si & latera & angulos inæquales Rhomboidem.

## X V I I I.

Sin verò, unam solummodo imaginetur lineam, eamque sic ductam ut duæ ejusdem extremitates se mutuo tangerent, & omnes ejus partes quæ sibi invicem oppositæ collocantur, æqualiter a se invicem distent, Circulum sibi repræsentabit. Inter cujus partes oppositas & æqualiter distantes facilè potest punctum imaginari, quod singulas earum æquales distantias in duas æquales partes dividat, quod Centrum erit: per quod si lineam ductam esse conciperet, ad priorem lineam sese extendentem, ab eadem eandem in duas æquales partes dividi concipiet. vel si duas lineas concipiat, sed non unitas, quarum singulas rectas esse imaginaretur, unamque sic juxta alteram ductam esse, ut omnes partes oppositæ æqualiter a se invicem distarent lineas parallelas sibi repræsentabit.

## X I X.

Quæ omnia Mens lustrans quasi, hæc formabit Axiomata. *Primo:* si alicui



alicui lineæ duæ aliæ comparantur, & si comparatæ eidem exacte conveniant, inter sese exactè convenire debent. *Secundò*: si duabus lineis quarum singulæ quinque constant partibus æqualibus, quatuor æqualiter unirentur partes æquales, duæ uni & duæ alteri, totæ quæ inde resultarent essent æquales. Sin vero *Tertiò*, quinque æquales inæqualiter eis unirentur, duæ uni, & tres alteri, tum essent inæquales. *Quartò*: si à duabus lineis, quarum singulæ constant sex partibus æqualibus, quatuor æquales æqualiter separentur, duæ ab una & duæ ab altera, lineæ restantes essent æquales. *Quintò*: Si duabus lineis quarum una constat punctis quinque altera quatuor, separentur quatuor, ab una duo, & ab altera duo, lineæ remanentes essent inæquales. Sin vero, *Sextò*, addantur iisdem quatuor, duo scil. uni & duo alteri, lineæ inde resultantes essent inæquales. *Septimò*: Si duæ lineæ cum tertiâ comparantur, & singulæ inveniantur tertiâ exacte duplo majores, inter sese essent æquales. Si verò *Octavò*, tertiâ singulæ earum exacte duplo essent minores, etiam æquales inter sese essent. *Nonò*: si duæ Lineæ sive figuræ inter sese absque tertiâ comparantur, & omni ex parte sibi invicem corresponderent, æquales essent, *Decimò* denique, tota linea major est quam ejus dimidia, tertiâ, aut quarta pars. Hic certè Mens figuras tot diversas inter sese comparando juxta hæc axiomatâ, varias demonstrationes elicere poterit; quas hic lectori objicere nimium esset excurrere. Adeoque ad methodum delineandam qua Logicam sibi formare potest, propero.

## X X.

Omnia antedicta Mens considerans, modumque quo Apprehendendo, Judicando, & Discurrendo, Veritatum, Sui-ipsius, Dei, & Corporis conceptus formavit, hanc sibi formabit Logicam, quâ se, sui que intellectus operationes, in rerum cognitione acquirenda dirigat, quia verò sibi conscia est se prius res perciperè, quam de iisdem Judicare, aut discurrere, ideo ad perceptionem suam dirigendam antè omnia incumbit: &

*Primò*. Advertens, omnes suas Ideas vel substantias, vel modos, vel substantias modificatas, vel æternas veritates representare, hanc sibi constituet Regulam, se debere quandocunque plenam & perfectam alicujus cognitionem acquireret, imprimis attendere, an Substantia, an Modus, an Substantia modificata, an vero Æterna sit veritas.



*Secundò.* Advertens, suas Ideas tum perfectas esse, quandò res plenè, distinctè, & clarè representant, easque se acquirere non posse, nisi repetita sæpius maxima cum attentione rei ex omni parte consideratione, hanc sibi excogitabit Regulam, quod quo diutius sedula rei contemplatione fixa inhæret, eo perfectius rem cognoscit.

*Tertiò.* Advertens, quod quandocunque substantiæ modificatæ format Ideam, se posse substantiam considerare, non considerato modo, & modum non distinctè considerata substantia; &, si plures sint modi, unum modum non considerato altero; observansque, se perfectiorem posse eorundem cognitionem acquirere, substantiam, modosque ejus seperatim considerando, quam conjunctim; hunc sibi formabit Canonem, quod quo res simpliciores menti proponuntur, eo accuratius cognoscuntur.

*Quarò.* Deniquè, dum cogitat Mens, observet, se posse, 1. Ideam actionis in genere formare, non præcise advertendo eam rationalem esse vel non. 2. Se posse Ideam generalem cogitationis formare, non considerando eam hanc vel illam particularem cogitationem esse. 3. Se posse Ideam aliqujus particularis Cogitationis formare hic & nunc existentis. Quarum Prima non tantum actiones cogitandi, sed omnes alias includens, tam universalis erit, ut alias Ideas universales sub se contineat. Secunda etiam non tantum hunc vel illum singularem cogitationis actum representans sed plures, tam generalis esset, ut etiam si non ad universales, ad innumeras tamen singulares sese extendat. Tertia verò tam particularis, ut unam tantum individuum cogitationem sub sese includat. Quibus observatis, modumque Mens considerans, quo Idea actionis in genere restringitur Ideâ actionis cogitandi; & Idea cogitationis generalis restringitur Ideâ hujus vel illius particularis cogitationis; observansque Ideam generalem Ideâ minus generali restrictam, simul cum eadem aliam prorsus Ideam esse, isti Ideæ minus generali duo hæc attribuat officia: 1. Ideam magis generalem restringere; &, 2. Simul cum ea restricta aliam ab ea distinctam constituere. E quibus omnibus hosce constituet Canones.

*Primò.* Se debere propter sui intellectus finitudinem, qui ad individua innumerabilia sigillatim considerata sese extendere nequeat, eadem conceptu aliquo universali, in quo omnia conveniunt, sibi representare.

*Secundò.* Se rem aliquam noscituram debere attendere, quid habeat cæteris sub eadem Idea generali inclusis commune, quid verò sibi proprium.

*Tertiò.* Se debere Ideæ extensionem sive universalitatem, ab ejusdem comprehensione sive attributis essentialibus accuratè distinguere atque hæc de



de iis quæ Mens ad apprehensionem suam simplicem dirigendam observare potest, notasse sufficiant.

## X X I.

Secundo Mens suas contemplando Ideas, nexus quosdam æternos & necessarios inter easdem inveniet; qui nexus sicuti menti apparent vel latent, sic eosdem percipiendo suas Ideas uniet, vel disuniet. Quæ unio sive disunio, respectu Idearum quæ uniuntur, varia & diversa est. Nam, 1. si Idæ sunt universales & nexus inter easdem æque latè extendantur, tum iudicium indè resultans esset universale; si particulares particulare; sin vero earum extensio non est determinata, indefinitum. 2. si Idæ unitæ sunt duæ, tum iudicium erit simplex; sin vero plures compositum. Quam etiam compositionem variis à se fieri modis observet: scil. vel plures simplices Ideas simpliciter & absolutè inter sese connectendo; vel conditionaliter, supponendo scil. talem esse nexum quarundam, & inde inferens nexum aliarum; vel cogitando duas Ideas inter sese connecti si non hoc modo, saltem illo; vel percipiendo qualis est nexus inter hæc Ideas talis est inter illas; similiaque.

## X X I I.

Modum verò Mens observans quo Ideas unit & conjungit, hæc investigabit regulas.

*Primò.* Ideam, quæ de alia affirmatur, sive cum alia unitur, affirmari vel uniri secundum omnem istam extensionem quam ista Idea habet cum qua unitur, quando unitur.

*Secundo.* Ideam, quæ de alia affirmatur, sive cum alia unitur, affirmari & uniri secundum ejus integram comprehensionem.

*Tertiò.* Ideam quæ cum alia unitur, non uniri cum eâ secundum integram suam extensionem, si ea magis extendatur.

*Quarò.* Extensionem Idæ, cum qua alia Idea minus generalis unitur, minori extensione unitæ Idæ restringi.

Modum verò considerans quo suas Ideas disunit separatque, sequentes quoque inveniet regulas:

*Primò.* Ideam, quæ de altera negatur & ab ea separatur, non semper de eadem negari, & ab eadem separari, secundum unumquodque quod in



ea continetur, separatim scil. consideratum; sed secundum suum totale & integrum, ex omnibus attributis simul unitis compositum.

*Secundò.* Ideam de altera negatam & separatam, semper de ea negari & ab ea separari secundum omnem suam extensionem.

*Tertiò.* Omnem Ideam quæ ab alia separatur, separari ab omni quod in istius Ideæ extensione, à qua separatur, continetur. Hæc de iis quæ ex Judiciis suis Mens observet, quorumque observatio ad discursum dirigendum quam plurimum conducet. Quæ intellectus operatio est denique attendenda, modusque ostendendus, quo anima hujus quoque cognitionem acquirere potest.

## X X I I I.

Advertet Mens, se veritates ignotas hoc modo è notis elicere: scil. nexum seu convenientiam duas inter Ideas non percipiens, ignoransque, an ulla detur vel non, tertiam quærit, cujus nexus vel cum utrisque hæc separatim consideratis apparet, vel cum una, & disconvenientia cum alterâ. undè concludit, hæc duas vel inter sese convenire vel disconvenire; nexum habere, vel non. Quæ omnia ut accuratius noscantur, Mens observet: 1. se duas Ideas post invicem cum tertia aliqua comparando, duo formare Judicia; & post comparisonem factam, tertium. 2. Hæc tria judicia aliquando affirmativa esse, aliquandò negativa, aliquandò partim negativa partim affirmativa. 3. Eadem judicia aliquando universalis esse, aliquando particularia, aliquando quædam particularia, quædam singularia, & quædam universalis. 4. Denique, aliquando simplicia esse, aliquando composita, aliquando partim simplicia partim composita; quæ compositio varia esse potest.

## X X I V.

Ad modum verò inveniendum, quo hæc comparatio duarum Idearum cum tertia rectè institui debet, hæc inveniet observandas regulas:

*Primò.* Quod duæ istæ Ideæ cum tertia secundum idem comparari debeant; id est, tertia ista Idea non debet uno considerari modo, quando cum una comparatur, alio quandò cum altera; adeoque comparatio debet semel esse universalis.

*Secundò.* Quod convenientia vel disconvenientia quæ ex hac comparatione



tione inferitur esse inter istas duas Ideas, non debeat vel major esse, vel diversa ab ea quæ fuit inter singulæ earum separatim consideratas & tertiam istam Ideam.

*Tertiò.* Quod si duas Ideas cum tertia aliqua comparet, nullumque inter eas nexum inveniat, nullo modo concludere possit, eas inter sese vel nexum habere vel non habere.

*Quarò.* Si duas Ideas cum tertia comparando, inter unam earundem & tertiam illam nexum percipiat, inter alteram verò & illam tertiam nullum, non potest concludere eas inter sese nexum habere, sed debet concludere eas nexum non habere.

*Quinò.* Si duas Ideas cum tertia conferens, nexus appareret inter unam earundem, & tertiam eam Ideam universaliter sumptam, inter alteram verò & eam solummodò particulariter sumptam, Mens non potest concludere nexum inter duas istas Ideas universalem esse, sed particularem, vel alias concluderet eas Ideas in aliquo convenire inter sese in quo cum tertia non conveniebant.

XXV.

Hiscæ observatis regulis, perget Mens invenire: 1. Quomodo hæc tria judicia secundum universalitatem & particularitatem, affirmationem & negationem, disponi rectè possint: 2. quot modis tertia ista Idea cum duabus istis comparari potest & debet, ad convenientiam vel disconvenientiam earundem inter sese legitimè inveniendam. Prius Mens noscet, advertendo, quot modis, omnibus præcedentibus regulis sepositis, & non consideratis, disponi possit, & tum, comparatis regulis, observando, quæ iisdem conveniunt quæ verò non. Quæ omnia hîc exactè notare, non esset operæ prætium. Posterius cognoscet, observando, quod duæ istæ Ideæ cum tertia, quadruplici modo comparari possint.

*Primò.* Sic, ut tertia ea Idea in primo Judicio subjiciatur, in secundo verò prædicetur. Ex quibus judiciis, se non posse tertium rectè inferre cognoscat, nisi primum judicium, in quo tertia Idea subjicitur, sit universale, & secundum, in quo prædicatur, affirmativum. Ratio est quia si prius particulare esset, conscia sibi esset, se peccare contra regulam superiorem primam; & si secundum negativum, contra regulam secundam.

*Secundò.* Sic ut tertia ea Idea in utrisque judiciis prædicetur. Ubi advertat, quod primum Judicium debeat esse universale, & vel primum vel



secundum negans; & consequenter tertium. Quia si primum esset particulare peccaretur contra regulam secundam; si neque primum neque secundum negans, ambo essent affirmativa, adeoque particularia, contra regulam primam.

*Tertiò.* Tali modo, ut in utrisque subjiciatur. Ubi observet, quod, secundum judicium debeat esse affirmativum, & tertium particulare, Quia, si secundum esset negativum, peccaretur contra regulam primam; & si tertium esset universale, peccaretur contra regulam secundam.

*Quartò.* Tali denique modo, ut in primo judicio prædicetur, in secundo subjiciatur. Ubi attendat Mens 1, quod quodocunque primum judicium est affirmativum, secundum erit universale; nam tertia Idea particulariter sumitur in judicio primo, adeoque, nisi universaliter sumeretur in judicio secundo, peccaretur contra regulam primam; & 2. quod quandò secundum est affirmativum, tertium erit particulare vel alias peccaretur contra regulam secundam.

Restat, si angusti Disputationis limites permitterent, ut aliquid de judiciis compositis dicerem; & quo modo Mens seipsam tanquam Ens considerans, Entis notitiam in genere acquirat; & tanquam Ens rationale, Ethicæ; respectum scil. considerando, quem Ratio æterna ad suam rationem habere debet. Sed hic Pagina subsistere jubet.

